

passus est. Codex P_7 , quod attinet ad *En.* 141, a C pendet neque contaminationis exsors est; quod ad ceteras pertinet, geminus cum codice C_1 videtur esse, et ambo sine contaminationibus. Liber vero littera X designatus, cuius lectionem editores Lovanienses et Maurini saepius receperunt, cum γ_1 coniunctus videtur, at multa contaminatione inquinatus eiusdem γ_1 lectionum testis fide dignus non est. Coloniensis autem liber K, excerpta continens, de quo codex Bn_2 descriptus est, ad familiam γ quamquam pertinere soleat, lectionibus partis π contaminatus est. Ergo lectio γ_1 quod attinet ad *En.* 141 testibus duobus $C_1 So_1$, quod vero pertinet ad *En.* 142–150 tribus $C_1 P_7 So_1$ restitui potuit, ubi contaminatio non obstitit:

141,6,18 agnoscere] cognoscere $\gamma_1 X$; 141,12,3 portio] portio autem deus in terra viventium *praem.* $\gamma_1 X$; 142,6,9 iudicium intrare] iudicio contendere intrare γ_1 ; 142,12,20 sequitur] dicitur $\gamma_1 X$; 145,12,12 ipsius¹ *om.* $\gamma_1 X$; 147,3,42 pugnans] paganus $\gamma_1 X$; 148,11,17 caedit] ferit $\gamma_1 P_6$; 148,12,17 faciunt ... quia *om.* γ_1 ; 149,11,19 quod donavit *om.* γ_1

Praeter hos libros potiores ($K P_4 P_5 C C_1 P_7 So_1$), alii ($Br_1 D P_3 P_{15} P_{23} Y X$) ad familiam γ pertinentes nobis visi sunt non omitendi, quamquam, mediocri auctoritate praediti et multiplici contaminatione inquinati, locum proprium in stemmatis ordine habere non potuerint. At Bernensem Br_1 cum Parisino P_{23} fere semper consonatem, quemque nonnisi in situ legere nobis licuit, ultra *En.* 141 non contulimus.

De mixta recensione textuum ϵ et ζ

Codices N et An_4 nobis sufficiebant ad illud testimonium ϵ restituendum, cuius textum, ut iam scripsimus in editionibus superioribus, librarius quidam doctus ante saeculum IX composuit duobus exemplaribus recensitis et inter se collatis, quorum alterum ex hyparchetypo π ortum cognatione proximum erat